



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **F. Ioannis Andreae Copensteinii, Ordinis Prædicatorum Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ Calvino-Catecheticæ**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Moguntiaë, 1626**

Ad Qvæst. XXXVI. Quem fructum percipis ex sancta Conceptione &  
Natiuitate Christi?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35247**

sibi contradicit etiam Minister, asserens esse de fide fundamentale; quod Deipara fuerit ante, in, post partum Virgo; & simul tamen asserens Tertullianæ um istud: *Virgo; quantum à viro: Non virgo; quantum à partu. &c. Magis Non Virgo dicenda est, quam Virgo.* Bene igitur, P. Sandeus.

AD II. Quodam modo Apertam fuisse, scilicet effectu egressi Christi absque impedimento saluæ Clausuræ: seu Christo peruiam fuisse modo suæ omniscientiæ noto, & omnipotentia solius seruato: hoc dicere est verum, pium, Christianum: At dicere apertam, id est, ruptam, diuulsam, conuulsam, &c. Si non hæreticum; certe est erroneum, impieque temerarium; ac plane implicat contradictionem.

AD III. & IV. Et hæc implicat contradictionem impiam: Esse apertam re ipsa, ut cætera fœminæ; & tamen saluam esse Virginitatem. Quam assignant, (Quia fœminarum à viris, Maria, à Christo apertio facta est;) vera est causa; sed non causa. Nam de Apertione ipsa reali, formali, est quaestio; non de Apertiente. Apertio illa est Clausuri, & per consequens necessarium ipsissima Violatio corporalis Virginitatis.

Neque hæc est in fractione vllius membranae, ait Ioan. Fernellus lib. 1. de partibus hum. ca. 7. sed in sola dilatatione partium contiguarum. Quare hanc asserens Durandus in 4. dist. 44. q. 6 inducens Dilatationem Vteri, non est ferendus: Certe Iouinianus violatricis Apertionis nomine inter hæreticos est reiectus, & condemnatus à Papa Syricio, & Ambrosio Epist. 80. & 81. August. lib. de heresibus c. 82.

Minister tamen S. Ambrosium & Origenem pro se allegat, uti & Bezæ; at sensu improbo: Quia docent ij Christum sua virtute, non humana ope exisse vtero: Exisse autem, mirabiliter vterum penetrando, Non Diuidendo. Ita August. lib. de Instit. Virg. c. 7.

DENIQUE; Causa Luthero-caluinistis, cur adeo beatum Deiparæ Ventrem scrutentur, & Apertiones crepent, est, ne cogantur concedere, Corpus Christi non esse in Eucharistia, & tamen locum non occupare. Sed bene de ijs præ-

dixit, uti olim de eorum similibus S. Hilarius lib. 3. de Trin. dixit: *Integra sunt omnia & obserata: sed ecce assistit medius, cuius per virtutem suam vniuersa sunt Peruia. &c. Cedit ad hæc & sensus, & sermo; & extrarationem humanam est veritas facti idcirco ergo; (sic loquentes facit hæreticos:) Vt de Natiuitate Domini fallimur; ita & de ingressu Domini nimentiamur. Dicamus, Factum non fuisse; quia intelligentiam facti non apprehendimus; & cessante sensu nostro, facti ipsius cesser effectus. Sed mendacium nostrum facti ipsius fides vincit. S. Augustinus epist. 3. dicit de Christi egressu ex vtero, & ingressu ianuæ clausis; in huiusmodi operibus totam rationem facti esse potentiam Facientis.*

## AD QUÆST. XXXVI.

*Quem fructum percipis ex sancta Conceptione & Natiuitate Christi?*

CATECHESIS. Quod mea peccata, in quibus conceptus sum, tegat.

MINISTER. 1. Mirum hic Parochum non mutasse vocem Peccata, uti fecit quæst. 7. Proprie enim naturalis illa corruptio, in qua concipimur, peccatum orig. vocatur. Veruntamen Christus non tantum tegit peccatum orig. sed omnia etiam peccata actualia

2. Pro voce, peccat. Tegat, substituit Tollat. Non negamus ea Christum tollere; sed dicimus etiam tegere. Nam sic loquitur ipsa Scriptura. Rom. 4. *Beati, quorum tecta sunt peccata. Quod orat Psal. 51. Absconde faciem tuam à peccatis meis.* Itaque Parochus expungendo vocem tegere, videtur eam negare; sicque aperte contradicit Scripturis.

Incerim latet anguis in herba sub voce Tollere, tegiturque Rom. Ecclesie impediendum adu. circa Iustificationem; quam per Habitalem inhesionem iustitiæ propriæ; non per Iustitiam Christi nobis fide imputatam: Confundentes nimirum Iustificationem cum Sanctificatione; contra Scripturam. Tollere igitur peccatum est Pontificis non tantum ut Non imputetur, sed ut omnino NON SIT. Quod falsum: contraque Aug. l. 1. de nupt. & Concup. c. 25. dicentem, *dimitti in baptismo, concupiscentiam, non ut non sit, sed non imputetur: iuxta Rom. 7. 20. Aug. in Psal. 31. Beati, non in quibus non sunt inuenta peccata; sed quorum tecta sunt, ABOLITA sunt.*

RESPONDEO AD I. Ideo mutavi, quod phrasit hæc; mea peccata, in quibus conceptus sum;

e sonct

sonet multitudinem peccatorum originalium vno in homine; Vel, innuat, peccatum orig. cum actualibus: Quod vtrumque falsum est; Prius: Nam vnicum est cuique solum peccatū orig. vt Minister ex Catecheti germanica, & Patreus declarat. Alterum; Quia *concepti* quisque sumus in vno solo peccato orig. sine actualibus. Neque enim pec. Originale est Actuale; vt Lutheranis multis placet: Neque relicta ex peccato orig. Vulnera sunt ipsum originale pecc. vt Lutherano-caluiniani contendunt. De quibus vide meum *Luthero-caluin. par. 4. q. 21. 22.* Quocirca vt ista talia cum speciali fide excluderem; sic correxi; *nostra peccata, in quibus concepti sumus.* Fortè compendiosius ex caluinizallem reponendo, *Meum peccatum, in quo conceptus sum: sed odi specialem Præsumtionem.*

AD II. Rursum hîc Ministromagistrales admittit contradictiones; sed communes suis, sibi non proprias. Ait 1. Christus peccata tollit: Et negat sic; Non, vt NON SINT; sed, Non imputentur: 2. Tollit; & Tegit: 3. Tollit, & Non imputat; esse vult synonyma in Scripturis; cum sint diuersissima in se realiter & formaliter. Atque hîc Lutherano-caluinianus later anguis in herba. Nô nego ista Tegere, Non imputare; minus Scripturis contradico: quin ea adstruo constanter, & collo: Sed nego Tegere, & Non imputare, propriè & strictè sumpta, esse synonyma cum hisce Remittere, Tollere, Delere, Purgare, Abluere, Non recordari, &c. peccata. Quia, Res, quæ tegitur, manet: quæ tollitur, non manet: Res, quæ non imputatur, EST; quæ tollitur, Non est. Ecce contradictiones formales, reales. Non imputari, est factum pro infecto haberi; quando factum esse infectum non potest. At in latiore significato improprie sumpta, tegere, non imputare peccata; pro non esse peccata realiter; concedo esse cum cæteris dictis synonyma, atque illa cum hisce inter sese conuerti.

Atque ita simul respondi ad & Scripturas obiectas; & ad S. Augustinum: Qui ipse ibidem ait: *Tecta sunt, Abolita sunt. &c. NEC sic intelligatis, quod dixit; peccata cooperta sunt, quasi IBI SINT & Viuant.* Et hæc est *oprobriosa* Romana.

Verum, quod sequitur Lutherano-caluinistæ voces Tegere & Non imputare accipiant, idq; improprie tanquam strictè & propriè, manifestat sua ipsorum definitio *Iustificacionis*, per Iustitiam Christi nobis fide imputatam: & nostra, per habituale inhaesionem iustitiæ. Circa quæ iam diu feruent hæc controuersia: Quæ sit formalis causa Iustificacionis absolutæ: an Iustitia nobis inhaerens? An sola fides? An remissio peccatorum non imputatorum? An Iustitia Christi fide imputata? An ipsissima iustitia Christi donata nobis? De quibus vide meum *Luthero-caluin. par. 4. qq. 61. 62. 63. 64. 65. Antichristum par. 4. qq. 32. 33. 34.*

## AD QVÆST. XXXVII.

Quid credis, cum dicis: Passus est?

MINISTER hic culpatur Excaluinizatorem ab inferis quinque.

1. Quod Christus itam Dei corpore & anima, sed *Sensitiua*, sustinuit. *Noua & stulta* hæres hic inter animam Christi Sensitiuam, & Rationalem distinguit: cum tantum vna sit in homine anima rationalis, tota in toto, & tota in qualibet parte; habens tres proprietates & operationes. In hac Christum passum Scriptura testatur.

RESPONDEO. Pueris ista garris, Ministromagister: vitis hîc verè lycophantaris. Non distinguo tres animas in homine; non: sed vnus anima tres Porentias, seu partes; quas tu potius *noua & stulta* hæresi proprietates & operationes appellas. Sed mitto hæc aliena.

Quia Caluinista fingitis blasphemè, Christum in tota passum anima; id quod ipse hic effutisti; idcirco eum Caluinismum inserta voce, *Sensitiua*, elisi, exclusi. Anima autem *sensitiua* in homine dicitur nobis, & sanis philosophis, *anima pars sensitiua*. Vide in meo *Luthero-caluin. par. 1. q. 42.* Ita in sensitiua parte sola passum Christum, vt ad Rationalem, quippe Beatam, nullus dolor adspirarit.

II. MINISTER. 1. Catecheticus ait: Iram Dei aduersus peccatum in anima *sensitiua* sustinuit Christus; addit Parochus, quoad *pœnam* solam hîc temporalem; non infernalem. Hoc ipsissimum Socinianorum est argumentum, vt probent Christum non tibi fecisse pro nostris peccatis: quod horum pœna erat moeroris æterna; at mors Christi temporalis,

2. Sed